

Quae serue bone ut modico fidelis mirra m gaudium con  
vobae. a Beatus ille seruus cum uenerit dominus eius  
cur ianuam & mucuerit eum uigilantem. a Fidelis seruus  
uera colitur dominus nup familiam suam. evovae. a  
m quo dohls non est. evovae. a Serue bone &  
m gaudium domini tui. evovae. ex almanit. v Os u  
ancistrine confessor domini monachorum pater & dux  
pro nostra omnium q salutem. evovae. In se uer. a  
cens. a Codocet. a Discipuli. ex Justis ut patimur. sup  
i cedunt domini p mas rectas & ostendit illi re

P. 6, 72

08. 00.

B. v. 181. 788.

10

COMOEDIA  
MISNICAÆ SYN-  
OPSIS, RECITATA  
IN AVSPICIO CON-

TINVANDARVM

lectionum Ienæ 27. Febr.

1593.

A

GEORGIO MYLIO  
D. & professore primario.



J E N C A E

Typis Tobiae Steinmanni.

COMEDIA

MISERICORDIA

ET PUNICA

ET ROMANA

ET CARTHAGINENSIS

ET VENETA

16030

16030

16030

16030

16030

COMOEDIÆ SACRAMEN-  
TARIAE IN MISNIA  
SYNOPSIS.



KORARIUS.  
AUDITORES HV-  
manissimi, et vix nisi ex magnis  
interuallis vos ego compellavi  
mensibus proximis quatuordecim, quorum  
quinque continuis turbata dissipataq; Ecclesiae  
Vitebergensi: Octonis, eoq; amplius, Visita-  
tioni Misnica, tandem etiam aliquot dierum  
spacio componendis rebus Ecclesiasticis in co-  
mitatu Schvarzeburgico vacandum fuit:  
eò indecentius esse arbitror, post tam diutur-  
num silentium, saltem toties interruptum col-  
loquium, ocyus ex abscondito quasi prorepen-  
tem, operarum scholasticarum telam ex ab-  
rupto denuò resumere. Quin imò  $\mathcal{E}$  offi-  
cij mei esse duco,  $\mathcal{E}$  ex dignitate huius ipsius  
cathedrae, totiusq; huius catus amplissimi ho-  
nore futurum existimo, si, quam exordiar  
rursus statas operas loci huius, prius oratiun-

A 2 culas

cula vos salutem aliqua. Neque id vero fa-  
cio confidentia aliqua aucta eius facultatis,  
qua ad dicendum ex hoc loco, præsertim in tan-  
ta corona, requiritur (hanc enim opinionem  
facile minuit tanto tempore intermissus dicen-  
di usus, quem non nisi assiduitate crescere  
magistri ipsi huius artis profitentur) sed te-  
standi causa gaudium meum, significandi de-  
siderium, quorum hoc, ingenti me occupa-  
tum fuisse hactenus, ipsem mihi optimus te-  
stis sum: illo, me perfusum iam esse mirifico  
sentio, postquam in conspectum catus huius  
exoptatissimi saluus atque incolmis redeo,  
atq; ita redeo, ut neq; de vestro erga me studio,  
neq; de meo erga vos amore, neq; de catus hu-  
ius amplissimi flore, hactenus quicquam im-  
minutum esse videam.

Hic ego ad te Christe ter optime maxime  
conuersus, tua non potentia tantum immense:  
sed bonitati etiam ineffabili ex imis pectoris  
visceribus gratias ago, quarum illa tu hacte-  
nus tueri nos, hac regere atque gubernare ita  
dignatus es, ut sub scuto alarum tuarum tui  
atq;

atq; incolumes permanserimus: bonitatis su-  
tem tua & diuina riuiulos suauiissimos, imo fontem  
ipsum gratiae celestis uberrimum viderimus,  
gustauerimus, hauserimus: Da queso alme  
atq; unice saluator animarum nostrarum, ut  
sub patrocinio tua omnipotentiae salui deinceps  
curriculum hoc mortalis vita, quod exiguum  
nobis natura circumscripsit, conficere: in pri-  
mis ut in sua quisq; statione grata tibi, & ge-  
neri humano salutaria dicere, facere, pati:  
omnium autem maxime, ut ad felicem mor-  
talitatis metam, imo beatum potius immorta-  
litis portum contingere tandem uniuersi  
possimus. Amen.

Jam in vultus vestros atq; aciem oculo-  
rum vestrorum conuersus, conspicari mihi vi-  
deor desiderium atq; expectationem animo-  
rum vestrorum, qua argumentum orationis  
huius meae cognoscere auetis. Evidem-  
tateor, hic me in votis habere, ut rimas cordi-  
um vestrorum his diebus explorare, & cuius  
argumenti tractationem a me expectaretis  
maxime, vel ipse inuestigare, velex vobis per-

A 3 inter-

internuntium cognoscere potuisse. Cum enim  
vobis studiorum vestrorum me undique  
obstrictum esse profitear, si hoc mihi beneficium  
obtigisset, consecuturum me indubitate spera-  
rem id, quod Regum ille sapientissimus, & sa-  
pientium omnium Rex ille sanctissimus dixit;  
*Fro. 25.* Mala aurea in sculptura argentea, qui lo-  
quitur verbum in tempore suo. At quia  
hoc mihi datum non est, diuinatione uten-  
dum fuit.

In qua tamen facienda, compendium me  
buoddam sectatum esse haud inficior, imitatus  
nimirum eos, qui ioculari exemplo, cordium  
quamanorum & cogitationum internarum  
scientiam quandoq; profitentur. Nam ut ista  
studia, actiones, mores atq; gestus hominum  
accuratissime obseruant: imo in oculorum ipso:  
rum motus intenti, ex horum obtutu, ex ele-  
uatione aut remissione superciliorum, ex toto  
deniq; vultu coniecturam faciunt de affectio-  
nibus animi, ita interdum feliciter, ut conie-  
ctura diuinationis non aberrent: ita ego in stu-  
dia atque actiones vestras defixis animi mei  
oculis,

oculis, comica à vobis tractari, ludos institui,  
scenas adornari deprehendi diebus hisce pro-  
ximis. Hinc comicum quasi sortitus dicendi  
argumentum, induxi in animum commemo-  
rare, quam nuper in vicina Misnia Satanas  
Indere ceperit fabulam, Tragicam illam qui-  
dem futuram, si ex voto ipsius successum res  
fuisse consecuta: sed Comicam tandem factam,  
id est, exitus latissimo finitam, eo nimirum, quo  
E⁹ nobis securitas, E⁹ toti ferè piorum Ecclesie,  
pax E⁹ tranquillitas optatissima parta consti-  
tutaq; est. Qua de re E⁹ perorantem breuiter,  
E⁹ stylo tenui atq; iejuno res maximas perse-  
quentem, ut qua antehac me audire consueui-  
stis, attentione, qua omnes ex hoc loco verba  
facientes, benevolentia complecti soletis, me  
quoq; hoc tempore audiatis, excipiatis, fouea-  
tis: maiorem in modum rogo.

Principio annis ab hinc septem, mense  
hoc ipso, qui iam decurrit, in viuis esse desijt,  
Augustus, Augustus ille inquam, Dux E⁹  
Septemuir Saxonicus, qui cura ingenti, im-  
pensis maximis, labore immenso, Con-

A 4 cordia

cordia illius aureo in Ecclesiis Euangelicis con-  
stituto trophæo, tanto seculum superius benefi-  
cio affecit, ut maiori nemo quisquam potue-  
rit. Dissipatum erat corpus Euangelicæ  
Ecclesiæ, ♂ quasi in rimas fathiscens: ♂ licet  
ruinosum aut ruderosum minimè esset, sic ta-  
men variarum opinionum distractione, ♂  
dogmatum diversitate conuulsum erat, ut  
decor illi suus, ♂ pacata tranquillitas non  
satis constiterit. Huie malo, postquam à  
Deo discessum est, remedium ex hominibus  
aut nemo inuenit, aut solus, saltem primus  
quaesuit, inuenit, adhibuit efficax planè. atq;  
eximium Augustus, iterum inquam Augu-  
stus ille, dux atq; elector Saxoniae celebratissi-  
mus, qui libro illo, quem Formulam Concor-  
dia nominamus, promulgato, dilabentes Eccle-  
sias coadunauit, disunctas copulauit, disper-  
sas collegit, atque id omnino diuino excitatus  
adiut usq; Spiritu effecit, ut pacatiorem homi-  
num memoria, magis florentem patrum et a-  
te Ecclesiam reformatam nunquam habueri-  
mus. Hunc laudatissimum Josuam, hunc  
pien-

pieniſſimum Hiskiam, hunc religioſiſſimum  
Jofiam & cum ipſo magnam eius, quam au-  
diuſtis, felicitatis partem, annus ille, & men-  
ſis, quem dixi, nobis eripuit, annus planè omi-  
nosus, & numero atq; augurio eius dignus, qui  
liennio pōſt ſecutus, ex Mathematicorum  
vaticinijs, ingentem humano generi cladem,  
fortè etiam extremam πανολεθρίαν portendere  
judicatus fuit.

Nolim hic, auditores optimi, quemquam  
ſuſpicari, ita nos eſſe ſtolidos, ut neruos & mo-  
mentum totius iſtius operis in Principis iſtius  
vnius persona conſtitiffe exiſtimemus. Im-  
pietatem meram ſtoliditas iſta ſaperet. Et  
res ipſa atq; experientia docuit dudum, & ho-  
diē monſtrat maximē, ſolidiori longē funda-  
mento, nempe diuine veritatis firmamento  
niti ſalutare hoc inuentum.

Illud tamen eſt, quod in caſu iſto deplora-  
re ipſa nos iubet pietas, quod huius occaſione  
factum eſt, ut priſtinam in harum regionum  
Ecclesiis fabulam ludere, nouas iterum Tra-  
gædias excitare Satan, conſilio planè infeliciſſi-

B                      mo

mo ceperit. Prologus ergo iste fuit quasi quidam fabula & sequentis, imò prodromus malorum, quorum Ilias quadam Scholas vicinas atq; Ecclesias excepit, imò uniuersam regionem Misnicam, adeoq; domos singulas pernauasit. Verum enim nimis est quod dicitur:

Intrant in thalamos publica damna tuos.

super  
Psal. 9.

Facit alicubi Augustinus persecutionem duplensem, qua primitiva Ecclesia Christiani fuerint exerciti, fraudulentam unam, violentiam alteram: hanc quidem qua vim habuerit in Imperio, quaq; procriptionibus, tormentis, exilijs, cedibus sauitum in Christianos fuerit: illam vero, qua dolum habuerit in miraculis, consilijs, inventionibus. Similes Sacramentariae istius Comœdia actus in Misnia fuisse, pxi mis annis vidimus. Fraudulentam ergo totam, insidiosam atq; fucatam Comœdia istius pta in constituimus. Pacata erant in Ecclesia atque Scholis uniuersa, constitutionum atq; legum optimarum repagulis omnia firmissime circumsepta: adhac Princeps paterni Imperij heres

heres & successor unicus, de religione rectissime sentiens: consensus ordinum omnium provincialium maximus. Ut hac conuelli possent omnia, Schola atque Ecclesia turbari, leges proculcari, Princeps in mentem moresq; ab institutione paterna alienissimos induci, ordines scindi possent, ad hoc plusquam Sinonia arte opus fuit. Quae quidem Diabolo, quem μυριαχίτης vocauerunt veteres, minime etiam defuit. Troiae perdenda vnum Sinonem satis fuisse Gracorum, memorant historie. In hac fabula duos potissimum Sinones produxit actor eiusdem, malitia quidem atq; audacia non dissimiles, vafricie tamen nonnihil dispares, in magna tamen utrumque autoritate constitutum, & sic instructum adiumentis, ut nocere bonis possent, quoties volebant: vellent autem quoties poterant. De quibus non est equidem vt dicam pluribus. Subiit enim alter iam iam iudicium Domini, ut norit, quam facile ipsi calcitrare contra stimulum fuerit. Alterum

B 2 manet

manet iusta in his terris Nemesis, quam uti-  
nam ille recta mente, pœnitentia non simulat,  
veraq; in Christum fide sustineat. De artibus  
ipsis verba facere maius opera precium esse  
persuasum habeo.

Constat autem religionem administrari  
partim rerum, partim personarum admini-  
culis. Quoad personas, prima actoribus istis  
fabulae Sacramentariae cura fuit, ut quos in  
conseruanda restaurandâue doctrinae puritate  
vel haetenus præstitisse aliquid meminerint,  
vel deinceps etiam præstare posse suspicaren-  
tur, eos velocius dignitatibus atq; officijs suis  
deturbarent, vel ita saltem minis territarent,  
insidijs circumuenirent, periculis conclude-  
rent, ut aut elidere ipsos atq; excutere, cum  
vellent, possent: aut non excusso atque elisos  
maxime, curis tamen emaciarent & confice-  
rent.

In gemiscerent, si hac præsentes audirent,  
nonnulli magni nominis, stupenda eruditionis  
atq; prudentiae Cancellarij: collachrymaren-  
tur, si in memoriam hoc loco sibi reuocata,  
animo

animo recolerent praestantes usū atq; experientia consiliarij: non possent non ad harum rerum recitationem ira atq; fremitu exardeſcere nobiles atq; aulici, qui in magno quondam, viuente Augusto, dignitatis constituti ſastigio, vel latus extreſum claudere poſteā, & post principia ſtare, vel exauſtationis ignominiam pati coacti ſunt, poſtquam Sinonia actio in ſcena locum obtinere, & ſex Sacramentaria fabulam ſuam ludere cepit. His ergo ſummoſis prodire in aula ceperunt homines noui, iuuençuli, nec ſibi ipſis, neq; Reipub. utiles. Quid porro Theologos memorem? Eundem erga iſtos fabula illa morem retinuit. Conſtituti ſunt Corycae, qui dicta factaq; ipſorum, infidioſe obſeruarentur: conducti ſunt, qui li-tes iniuftas intentarent, & cum cauſis ipſis non poſſent, ſaltem modo agendi animos ipſorum expugnarentur. Preces & ſuppli- cationes ipſorum, periculosa; admonitiones, ſeditioſa: excuſationes atq; accuſationes omnes, capitales haberij atque nominari ceptæ ſunt. Vos ipſi per Deum immortalem iudicate, quid

B 3 ſit,

fit, quod me etiamnum Vitebergæ commorante factum est, utiq; non mandante Principe, sed ita constitente Sinonie actionis gubernatore, quod aliquot mensium spacio, ob sitis virting, haud procul ab urbe, viarum publicarum compitis, tabellariorum omnium, qui vel ad urbem conmearent, vel inde etiam remearent, sarcinulas apertas isti homines sunt scrutati, conquisitis omnibus que vel a Vitebergensibus Theologis ad alios, vel ad ipsos ab alijs conscriptæ erant, literis, ut ex resignatis istis depromerent, unde capitibus istorum pericula creare possent. Imò alterum etiam, hoc ipso, quod commemoravi, atrocius, quale sit, estimate. Conscripctæ sunt ad Theologos literæ fictitiæ, quibus magna significabatur συμπάθεια, erga miseram Religionis faciem, solatia ad secuturum exilium communicabantur, subsidia exulaturis promittebantur, insuper missis una cum istis fictitijs literis, splendidis muneribus, ut si quid penitissime reconditum in pectore haberent, quo prodi to periculum ipsis creari posset, hoc artificio emun-

emungerent. Industrius in hoc artificio  
fuit JOANNES ille Maior, poëta Vite-  
bergensis, qui ista arte optimum virum, &  
Theologum insignem D. JOANNEM  
MATTHÆVM & conditione academi-  
ca, & vita hac mortali exuit atq; spoliauit:  
mihi etiam parum abfuit, quin extremum,  
discrimen conciliauerit. Sed non viuostan-  
tum ac præsentes vexauit ista fabula: verum  
etiam mortuos atq; absentes. Exterorum  
igitur Theologorum, quos nostra amat fouetq;  
Ecclesia, nemo fuit, quin audiret pessimè, &  
vix numerum inter Alphabetarios apud  
istam cohortem inueniret: Sabaudicis inte-  
rim Theologis, Palatinis, Sacramentarijs  
omnibus, ad calum usque elatis. Quos  
verò iam caelestis Academia suscepit, Theo-  
logos, toto mundo celeberrimos, Bugenhagi-  
um, FONAM, CRUCIGERUM,  
BRENTIVM, SNEPFIVM, & simi-  
lis nota homines: hos illi alios indoctos asinos,  
alios scurras, alios fatuos: Beatissimam,  
illam animam, LUTHERVM dico, cum  
atroc-

atrocious criminari non auderent, Germanicum Martinum, turbulentum & rigidum Pfaffum appellare consueverunt. Et ut autoritatem doctrina cum existimatione personae pariter conuellerent, ea forma imaginem Lutheri & Philippi excudere ceperunt, ut à dextris Philippus consisteret, lauum Philippi latus Lutherus, ceu isto inferior, clauderet. Imò Philippistae tandem audire publicè etiam voluerunt, ut hoc nomen profisi, Lutheru nuntium sese remisisse, imò bellum indexisse ostenderent. Tandem ex composto actum fuit, ut nulla publicè haberetur oratio, nulla ad valvas publicas affigeretur intimatio, in qua non Philippus ad astra euehetur, Lutheri mentione altissimo silentio involuta. Memini auditum fuisse, qui diceret, se cum Philippo malle in inferno, quam in calis cum Lutheru versari, eò nimirum usq; progressa est temeritas istorum hominum: fraudulenter tamen magis atq; insidiosè, quam pro sensu animorum suorum loquentium, nimirum ut vulpem Sacramentariam, pelle ouina Philippici nominis palliarent.

Sed



Sed ad rerum adminicula descendō, quibus causa religionis administrari atque promoueri solet. In hoc genere tria sunt, quibus probè recteq; instructa Ecclesia in negotio religionis plurimum potest proficere. Primum est norma doctrina certa, ad quam velut Cynosuram, dogmata quauis controuersa iudicari, Gal. 6.16.  
Phi. 3.16. Ex qua σοιχεῖωσις ναρόν, quam Apostolus appellat, peti indubitate atq; immota possit. Secundum illud est, si Spiritui S. sua in ministerio Ecclesiastico libertas Ε pars officij ελεγυτική, non minus, quam didactikή intemerata relinquatur. Tertium hoc est, si cum voce viua vox etiam muta Ministrorum confonet, id est, scriptionibus, non minus, quam concionibus sacris sua constet integritas. Ad hanc religionis purioris interuertenda adminicula, penitusq; excindenda, artes suas Sinonias gens ista fabulosa pro virili adiunxit. Primum vix humi repositis, atq; ex tempore mortalifrigefactis Augusti incliti exuuijs, Concordia Formulam, que nuper immenso sumptu Ε labore istius Principis, symbolica Ecclesia-

C                  rum

rum nostrarum constituta fuerat tessera, nemini obtrudendam esse, mox, memoriam eius honestè sepeliendam, tandem prorsus illam, eliminandam esse ex Ecclesia dicere non sunt veriti, imò materiam litis, Argumentum discordiarum appellare ausi sunt, cuius ipsis etiam autoribus de eadem non conueniat, multi fidem etiam bonam in editione istius operis desiderent. Ignoscat Deus his, qui religionis societatem professi nobiscum, igni huic oleum suffundere tempore illo periculosissimo non exhorruerunt.

Successu ergo potiti Sinones isti satis optato, Formulae Concordiae tecto progressu, corpus doctrinae Philippicum surrogatum voluerunt, ad cuius normam cum in obeunda inuestitura cuiusdam Theologi in Ecclesia Vitebergensi astringere, publicè inaugurandum, detrectarem, memini id mihi pramij hoc nomine ex scena Sinonia obtigisse, ut de stipendijs annuis salario, una vice, sexcenti floreni accisi ademptiq; fuerint.

Fnde

Inde ad scripta Theologorum siebat progressio. Decreto ergo cauebatur publico, ne cuiquam fas esset de rebus sacris in publicum quicquam emittere, nisi ad aulam missum prius, id est, in scena Sinonum istorum ab actoribus fabula Sacramentaria, approbatum. Huic instituto tantum prætexebatur commodum, partim rixarum inter Theologos minuendarum, partim autorum optimorum ex tenebris vindicandorum, ut ne ipse quidem Princeps (cuius bonitate pessimè turba isthac abutebatur) olfacere potuerit, non religioni pacem quari, sed insidias strui, non lites nobisminui sed defensionis arma adimi, quibus exuti, hostiū libidini præda pro arbitrio redderemur. Tandem maius quiddā conat fabula istius actores, ori etiam Ministrorum frenum injere, id est, Spiritui sancto ipsi capistrum aptare non sunt veriti. Quo enim alio loco habendum putem Mandatum illud, veritatis religionisq; sickerioris planè proditorium, quo silentium imperabatur Ministris, ne lupum Sacramentarium proprio nomine

G 2                      appell-

appellare, verba è suggesto facientes, in animum inducerent. Evidem nihil quicquam esse reor, quo isti homines ad viuum magis ingenium expresserint Sinonium, quam huius mandati commento. Hic enim fuit Troianus ille equus, qui intra muros Ecclesia Misnica sub specie doni insignis, & pacatae tranquillitatis admissus, ex sinu suo tandem multos effudit eorum hominum manipulos, qui religionis veritate prorsus prodita, sub quauis conditio-  
ne cum gente Calviniana viuere postmodum, & quiduis cum quouis docere ac sentire de religione (exhorresco commemorans) non erubuerunt. Non defuerunt quidem moni-  
tores strenui ac fideles, qui equi istius Troiani receptionem sedulo dissuaderent, in quibus fa-  
cile palmam obtinuit Selneccerus pia recorda-  
tionis. Sed ea ipsi est relata gratia, quam  
Troiae accepit, qui equi istius monstrosi admis-  
sionem in urbem dissuaserat.

Habetis θεότατην Comædia huins Sacra-  
mentarie, tristem quidem satis atq; Tragi-  
cam: sed cuius in peius degenerationem, pars

Dras

Dramatis altera quam <sup>πάτησιν</sup> appellant Co-  
mici, luculenter vobis ostendet. Cum enim actu  
fabulae primo amotis, quas reformidabant, re-  
moris, in portus sibi nauigare viderentur; iam  
non per cuniculos agere, sed aperto Marte  
quodammodo pugnare homines isti ceperunt.  
Asciti sunt ergo undequaq;<sup>s</sup>, atq;<sup>s</sup> in Ecclesias  
Scholasq;<sup>s</sup> introducti partim manifesti religio-  
nis nostra hostes, Calvinismum alibi apertè pro-  
fessi: partim <sup>καύμα</sup> Calvinista, qui exierant qui-  
dem à nobis, sed non erant ex nobis, <sup>E</sup> sub spe-  
cie societatis in religione, virus Sacramentarii  
um longo temporū interuallo (ut est mos istus  
<sup>καύματον εύματος</sup>) in latebris cordium occulta-  
rant. Hic demum horrenda sunt auditu,  
qua in Religionem nostram projiciebantur,  
conuictia, dicteria, diræ, execrations, contu-  
melia, scismaticæ, mendacia, anathemata. Nil  
nisi Flaccianos, Ubiquitistas, Capernaitas, Eu-  
tychianos, Semipapistas, Clamantes, <sup>E</sup> similia,  
crepare hominum istud genus poterat. Hor-  
rescit animus referre, quod facitare non co-  
borruit Salmuthus quidam Calvinista, Ecclesia

Vitebergensis Diaconus, qui ad rabiem ebrius,  
cum oblongum vitrum, cereuisia repletum,  
manu tenens, non haberet, cui propinaret,  
imaginem Lutheri ad parietem conspicatus,  
ad eam conuersus dixit, En tibi Luthere hoc  
propino. Mox epotum vitrum, cum repletum  
iterum cereuisia accepisset, imagini Lutheri  
poculum vi immani sic impegit, ut post menses  
aliquot frusta comminuti vitri imagini eidem  
inherentia contueri mihi non sine gemitu con-  
tigerit. Concordia librum alij plenum erro-  
rum esse affirmare, subscriptiones à se ipsis fa-  
etas detestari, & apud Deum, peccatorum  
illud maximum, cuius sibi essent conscijs, de-  
precari: Augustana Confessionis prototypon  
hæreseos insimulare: Lutherum in castra  
Sacramentariorum ante obitum suum dis-  
cessisse, impudenter comminisci: doctrinam re-  
ligionis Christianæ plenius & planius in Codice  
Justinianeo, quam Augustana Confessione como-  
prehensam esse, publicè effutire: blasphemias de  
persona Christi voces & locutiones spargere,  
& cum Deus de homine, homo de Deo prædi-  
cetur

cetur, figuratam & tropicam hanc esse enuntiationem publicè disputare, hoc est, Arrianismum postliminio in Ecclesiam reducere: de absoluto prædestinationis decreto, & reprobatonis fato, hominum memoria inauditæ voces, & Cerbereos planè latratus, scriptis atque ore effundere: peccato originis negato, natuam fidelium liberis sanctimoniam tribuere: Baptismi vim omnem atque efficaciam eneruare: in rebus adiaphoris, necessitatis laqueos conscientijs hominum injicere: in verba atque nutus ipsorum non illico iurantes, exilijs atque carcere multatare, atque in his omnibus rebus nihil moderate, nihil tranquille: Sed omnia pro imperio & pro libidine animi agere cuperunt. Digna sunt memoria illius hierophantæ, seu Sycophantæ potius aulici verba, quibus Pyladem suum, nuper Pastorem in Ecclesia Vitebergensi constitutum, contra Diaconos suos, purè de religione sentientes, literis scriptis armat atq; animat, Si Braximoni isti molesti tibi esse perrexerint: ei jace illos, idq; saltem ex hoc capite,

capite, quia Ubiquitatem inthronizare co-  
nentur. Eiusdem alterum fuit apophthegma,  
*N*unquam rectè successuras res, nisi vete-  
rani, & quibus priorum temporum memo-  
ria constet. è medio prius tollantur. Hoc  
nimisquam quasuerunt isti homines, ut non ho-  
minibus, non usu rerum præditis: sed brutis  
& mancipijs imperare velle viderentur: nec  
sanè aliter res omnes administrarunt, quam  
quasi ex nouis insulis, aut ex calo Empyreo nu-  
per in terras hasce delati, aduentu suo non le-  
gestantium & statuta omnia maiorum anti-  
quassent: sed omnem etiam rerum superiori-  
bus temporibus gestarum memoriam uno  
momento abolevissent. Nulla posteritatem,  
unquam capiet obliuio eius facti, quod de ab-  
rogando Exorcismo tentare in Ecclesia, &  
verò ausu nimis insolenti tentare, ausi fue-  
runt.

Claud.  
fol. 132.

Memorabile est scriptoris cuiusdam  
Galli in recensenda Bezae Genevensis vita  
τούρημα, Omnes, inquit, in Calviniana Schola  
ita sunt informati, ita instituti, ut quecunque  
medi-

meditantur, quæcunque agunt, prius facta,  
quam cepta esse audiantur: ut si negare ne-  
queant, ea ipsa in aduersarios exonerent,  
eorumq; innocentia & integritati suas frau-  
des, suas machinationes, sua beneficia, suas ca-  
des imputent. Vixum huius obseruatio-  
nis exemplum in abrogando Exorcismo vide-  
re in isto hominum genere licuit ante trienni-  
um. Nam ut factum hoc prius, quam  
ceptum audiretur, in solenni rite baptizatae  
filiola, optimo Electori, technarum Caluinia-  
narum minime conscio, persuadent ex tempo-  
re, quia adiaphorus sit Exorcismi ritus, ut  
in actu isto, cui exterius aliqui interfuturi sint,  
ritui isti minime assueti, eundem præteritum  
velit. Facile obtinent, quod volunt, maxime  
quia sic unani voto Theologos sentire, prin-  
cipi ad habendam suis fidem non male compo-  
sito, homines isti inculcabant.

Exempli istius autoritate ex tempore illi  
potiti, statim in ius commune, & absolutam  
necessitatem, factum unius Principis arbitra-  
rium, atq; ut sic loquar, extemporaneum illi  
D rapiunt,

rariant, detestabilem, execrandam, magicam,  
Papisticam, Diabolicam abominationem esse  
commenti id, quod ipsi sub ratione indifferentे  
Principi suo primitus persuaserunt. Nec  
hic rationibus agebatur, aut deliberationi-  
bus & consilijs locus tempusq; relinquebatur,  
ut in similitudinem ritus adiaphori sponte  
consentirent omnes: sed minis, vi, imperio, car-  
cere, mulctis, exilio omnia raptim tracta-  
bantur, nimirum experimentum partim sic  
capturis istis hominibus, si in hoc capite res  
succederet, quid in reliquis deinceps tentare  
tuto possent: partim & quidem præcipue, ut  
autoritatis Lutheri labefactanda specimen pu-  
blicum proponerent. Sic enim stabat homi-  
nibus istis iam subducta ratio & collectio:  
Lutherus detestabilem Exorcismi idolomanir-  
am ex Ecclesia non sustulit. Ita nullus est  
eius in reformanda religione autoritas, &  
Caluino atq; socijs debetur, quod purgatam  
à Papismo Ecclesiam habemus. Hoc erat  
quod illi iam non in angulis tantum missit  
stare: sed palam etiam profiteri ceperant

Die

Dies me citius, quam oratio deficeret, si hic  
commemoranda sint contumelia, si recensem-  
da scommata, si calumniæ enumeranda, si ex-  
plicanda fraudes, quæ in hoc negotio factæ  
sunt ministris, qui vel resistere, vel tergiver-  
sari in hoc instituto in animum induxerant.  
Aliquis crimen laſa maiestatis intentatum  
fuit, quod factum Illustriss. Principis (cum  
quo tamen nihil ipsis rei erat) atro calculo  
notare præsumperint. Alijs deliberanditem-  
pus ne ad horam quidē unam permittebatur.  
Plerisq; cum conditione doctrina non mutan-  
da subscripturis, venia rei non coocedebatur.  
Ipsi Electori turpiter imponebatur per Consi-  
storiales quasdam literas, quibus certior ille  
reddebat, Ceremonia ista non parum mul-  
tos offendit, subornato in hunc usum leuissimo  
quodam homine, pastore loci cuiusdam & Su-  
perintendente, qui ad Consistorium scriberet,  
in sua diœcesi esse plurimos, qui Exorcismo  
offenderentur, quos nullos fuisse tandem com-  
pertum fuit, & diem datarum literarum  
per crimen falsi retro ascriberet. Quibus lite-

D 2 ris.

ris, quamquam falsis & fictitijs optimum,  
Principem tamen in errore suo vehementer  
confirmatum fuisse, quo minus scandalum  
datum agnosceret, atque auerteret, certum  
atq; exploratum est. Utinam abscindan-  
tur inquit Paulus ad Galatas, qui vos con-  
turbant: Traditi sunt in reprobum sensum  
Gal. 5. fraudum istarum machinatores prope omnes:  
Quis ergo aliud istis etiam imprecetur, quam  
quod Galatarum conturbatoribus Aposto-  
lus imprecatus fuit? Neq; enim has dunta-  
xat, quas recensui, tragadias excitare homi-  
nibus istis volupe fuit. Nihil est in religione  
venerandum, nihil in moribus concinnum,  
nihil in politia tum ciuili, tum Ecclesiastica  
approbatum, quod isti homines temerare,  
conuellere, prophanare, excindere, non laudi  
sibi duxerint. Et sic illos omnia innouandi li-  
bido occupauerat, ut non alio argumento re-  
sta magis putarent, qua introducebant, quam  
quia noua erant: vitiosa autem qua abroga-  
bant, quam quia vetera. Hinc antiquatis  
veteribus, quippe Lutheranis, ium precatio  
num

num, tum Psalmodiarum etiam formulis, no-  
ue, ad chorearum saltum, quam chori Ecclesi-  
astici concentum magis aptata, inuehebantur.  
**N**oua scribebatur Catechesis: noua typis ex-  
cudebantur Biblia, quibus tota latrina sterco-  
rum Calvinianorum infarta erat. Hec vero  
omnia pro suggesto necessariae reformationis  
nomine identidem ab istis hominibus commen-  
dabantur: hæc scriptis publicis Illuminatio ap-  
pellabatur, qua seculum hoc Deus præcipue  
beatum voluisset: deniq; ut furoris heretici  
monumenta posteris seculis supereffent, me-  
moria etiam posteritatis consecrabantur, re-  
posita in cacumine turris Lipsensis, narratione  
plusquam mendacissima, Hanc esse reforma-  
tionem, quam morte præuentus absoluere Au-  
gustus, quamvis sollicitè de ea cogitans, non  
potuerit: sed filio eam reliquerit. **V**t iurare  
quis haud immerito possit, Dubium esse, An  
verum cogitare etiam & concipere animo,  
tantum abest, ut eloqui, aut scriptis profiteri  
homines isti ex mendacijs, quanti quanti sunt,  
toti consuti possint. **Q**uaret hic aliquis & po-

steritas, scio, mirabitur, que in hoc rerum sta-  
tu, Reipublica ratio, que Ecclesiæ facies, quis Scho-  
larum modus, que omnium ordinum conditio  
fuerit? Dicam verbo uno, Miserrima. Vi-  
disses tantam in templis vastitatem, quantam  
à religione Christiana in his regionib. propaga-  
ta, nulla vidi etas. Plurimi erant, qui anni  
integri decursu, multi, qui plurium annorum  
spacio concessionem sacram nullam audierant.  
Infantes aliquibus locis reperti sunt, qui ali-  
quot menses etatis sua assediti Baptismi laua-  
cro tincti nondum fuerant. Plerisque in locis  
ubi vel per vim intrusi erant mercenarij, vel  
à fide constantia prolapsi fuerant, in subscrip-  
tione abrogandi Exorcismi praestita, Mini-  
stri ordinarij, tantus erat Ministerij contem-  
ptus, ut cum Iudeis aut Turcis pari loco à suis  
auditoribus pastores fuerint habiti. Vidi oculis,  
atque auribus hisce audiui, qui catello suo no-  
men subscripti Pfaffi inderet: Usque adeò fædam  
S. Ministerio maculam Satan, opera Calui-  
nistarum usus, inusserat. Par et equalis  
in Scholis cernebatur vastitas, triuialibus  
primū

primum, quæ ad tantam paucitatem erant  
redactæ, ut in deducendis exequijs defuncto-  
rum non essent quandoq; qui pro funere can-  
tarent: tum publicis etiam, quas appellant  
Uniueritates. In quibus Vitebergensis, quæ  
semper fuit populosissima, ad eam raritatem  
peruenit tandem, ut quamvis Electori opti-  
mo mentirentur, eam suo tempore esse frequen-  
tissimam, in quam se tota regna, & nescio quæ  
nouæ prouinciatotæ iam effunderent: nume-  
rus tamen dissentium, facta per oppidum  
ostiatum inquisitione, maior tandem non sit  
repertus quam 450. annumeratis licet fa-  
mulis & ciuium etiam, qui operam literis da-  
bant, filijs. Nihilo letior aut vegetior erat  
Reipub. imò etiam uniuersi status Oecono-  
mici facies & conditio. Summa hac est,  
Aut mærore animi contabescere, & ante an-  
nos consenescere: aut in licentiam morum  
effrenem dissolui, & magnis precipitijs in  
flagitiosam atq; Epicuream vitam ruere cer-  
nebantur homines, ut multi tandem nec Deum  
nec sacra eius curare viderentur. Vidi, qui  
vsum

vsum Cœna Dominica explodere, & homini-  
bus ad altare procumbentibus, simile sibi id  
videri spectaculum, cornicularum facto, qua  
nidis adhuc adharentes, cibum à matre pra-  
bitum rostris exciperent, dicere auditus fue-  
rat, imò panis buccella in catino reposita, &  
vini affuso modico, ubi id humi procumbens  
deglutierat, tantundem se accepisse dixerat, ac  
qui ad Synaxin accessisset. Lipsiae Professo-  
rum quidam reperiebatur, quem non puduit  
dicere Visitatoribus in os, ut monstrarent sibi  
corpus Christi in Cœna visendum: tum se pre-  
sentiam eius crediturum esse. Idem de  
uno in uniuersum vero, eoq; non nisi Logica  
doctrina tractatione duntaxat comprehensi-  
bili, confidenter disputare multa non erubuit.  
Heu nimis tristem atque Tragicam fabula  
istius Sacramentariae Pittatw.

Sed ad narratioñ proprio. Quemadmodum  
Principis unus Augusti putæ obitu, fabula  
ista Sacramentaria ortum duxit: Fra morte  
successoris finem est sortita. Perit ergo, & si a-  
tate spectes, præmatura morte perit Princeps  
optimus

optimus, cuius facilitate nequiter sex ista ho-  
minum diu abusa fuerat, & perit nulla re ma-  
gis, quam scelere eorum occisus, quorum per-  
fidia sibi turpiter impositum fuisse sero ille tan-  
dem animaduerterat, & sanguine quasi de-  
plorare ceperat. Hic Ilium ingens ruit, perit  
Troia magna momento uno & fabula Sacra  
mentariorum in fabulam exit, & desinit in lœ-  
lam narratō Phīn, quam isti exitus reaymātātō clau-  
dere in animum pridem induxerant. Sæpe  
malum hoc illis, si mens non leua fuisset, diuina  
prædixerant auguria. Manifesta mortem  
Principis multa præcesserant presagia. In socijs  
machinationum atq; impietatis atrocia Do-  
minus iam aliquot vindicatae sue Maiestatis  
exempla statuerat. Vitebergæ studiosus re-  
pertus fuit, qui rythmos Germanicos à ciue  
oppidano adiūm suarum vestibulo ascriptos,  
& lapidi incisos, in hunc modum:

Gottes Wort vnd Luthers Lehr/  
Vergehet nun vnd nimmer mehr.

Hos inquam cano & stercore oblitos ille  
fœdissime conspurcauerat. Quid fit? Postri-  
diè flagra furiarum intus persentiscens haud  
E dubiè,

dubie, cum animo saucio quietis aliquid quasiturus, porta deambulatum egreditur, subito exanimis concidit. Possent plura commemorari scitu digna in hanc materiam. Sed temporis angustia excludimur. Hac eò duntaxat recenseo, ut constet, licet aliquandiu clausis quasi oculis connixerit Deus, & frena libidini Sacramentarie laxarit; quam paternè tamen ille cause sue tandem patrocinium suscepere, imò solus solus tandem fuerit, qui hostes fudit, confudit, & liberationem populo suo, & Ecclesia exoptatissimam præsttit. Hui quanta illicò tum conspecta fuit animorum ex parte Sacramentaria consternatio? Antea caput inter nubila condebat: nunc cor plantæ pedis affixum, vix agrè trahebant. Quis hoc nisi diuina potentiæ specimen interpretabitur? Certè hac virtus fuit, quam fecit dextra Domini. Miranda referunt fide digni homines, qui Pa-

Leuit. 26 nicus timor istos Pyrgopolinicas tum illicò inuaserit: fugiebant nemine persequente: sonitus folij unius volantis, ceu fulminis icti, terrebantur.

Erat Vitebergæ RENNECHERUS  
quidem

quidem, homo portentosè peruicax, qui mortis  
istius accepto nuntio, crepidatus neq; perula  
neq; pecunia instructus, extra urbem se pro-  
ripit, & fuga leporina saluti, cui ne person-  
num quidem a quoquam periculi quicquam  
parabatur, consulebat. Cum indictis Torga  
Comitijs de summa rerum constituenda cum  
ordinibus provincialibus ab Illustriss. nostro  
Principe consilia tractarentur, ne unus qui-  
dem repertus fuit Caluinista, qui in publicum  
progressus religionis sua, dixerim potius im-  
pietatis, confessionem edere ausus fuerit. Jam  
Vitebergam ad homagij præstationem ingres-  
so eodem Illustriss. P. & inter sacra iam ver-  
sato, dum antemeridiano tempore fulgentissi-  
ma halone Sol circundatur, ut aspectu etiam  
ipso ostentum hoc contemplantium animos ex-  
hibaret, an hoc documentum non fuit gratia,  
quam rursus affulsuram Ecclesiæ sua, Deus  
hoc ipso ostento palam significauit? Jam tan-  
tum se in animis hominum exerebat passim su-  
per hac insperata liberatione gaudium: Tan-  
tus audiendi Verbi purioris Zelus: Tantum  
Caluiniani dogmatis odium, ut hæc nisi diui-

E 2 nitus

tus excitata esse, cogitare piis nemo quisquam  
possit. Judaico nomine exosius longè factum  
est Calvinistarum nomen: Et Calvinistam ho-  
diē dixeris, omne flagitium dixeris ijs locis, ubi  
nuper pro nomine Calvinum haberi, assecla ip-  
suis volebant.

Digna hac est & debita Calvinistis pro in-  
nata superbia, & odio nominis Lutherani, ta-  
lioniis pæna, quam utinam aut vera pæni-  
tentia amoliantur, aut ad finem usq; mundi  
patiantur. Tibi verò Rex Gloria, Rex Ma-  
iestatis omnis Iesu Christe, cuius honori hære-  
sis ista præcipue aduersatur, laus sit perennis  
& sempiterna gloria, qui honoris, cause, &  
populi tui patrocinio suscepto, tantum nobis  
iubar tua bonitatis splendere hoc tempore vo-  
luisti. Conserua nos à malo Christe in veritate  
tua, Verbum tuum veritas est, à quo ne un-  
quam latum vnguem, vel tyrannorum minis-  
terriit, vel hereticorum strophis turbati, de-  
flectamus, tu spiritu tuo solus effice. Amen.

F I N I S

155087

R. v. 17

monit... ruit et in sem... gume agni lauerur mole  
radicem... corpora sua... ppter deū ad...  
ernierūt habere coronas... uerberias... in  
parti et filio er ipse... tu sc̄o. nō in iug. laudes  
michi quinta passi sūt romenta. ut secuti pueret eu  
tri. Evobae. a Cum palma ad regna pueret sc̄i.  
dus meruerit de manu dei. Evobae. a Corpora sc̄e  
a fuit et uident nomina eorum in eternu. Evobae. a  
omni dñi benedictre in eternu. Evobae. a Hartu

## Farbkarte #13

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

